



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus  
Tractatus de Prædestinatione, de Trinitate, de Angelis, & de homine

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Prima conclusio statuitur,

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77146](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77146)

2 **D**ico primò, Angelos fuisse creatos in beatitudine naturali. Ita Divus Thomas artic. 1. hujus questionis, ubi præmissâ distinctione beatitudinis in naturalem & supernaturalem, subdit: Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus assequi virtute sua natura potuit, fuit creatus beatus: quia perfectionem hujusmodi Angelus non acquirit per aliquem motum discursum, sicut homo, sed statim ei adest propter suam naturam dignitatem.

3 **C**onfirmatur: Angeli à principio suæ conditionis habuerunt cognitionem & dilectionem perfectam Dei ut authoris naturæ: Sed in hac duplici operatione naturalis ejus beatitudo consistit; cum illa sit ultima perfectio ad quam natura angelica per vires naturæ pervenire potest: Ergo Angeli in beatitudine naturali fuerunt à Deo conditi.

4 **O**bjicies: Si Angeli fuissent creati in sua beatitudine naturali, in ea permansissent: Sed non omnes in ea permanserunt; Angeli enim damnati sunt infelicissimi, & maximam anguntur tristitiam: Ergo omnes Angeli non fuere creati in sua beatitudine naturali. Sequela Majoris probatur: De ratione beatitudinis est inamissibilitas: Ergo si Angeli fuissent creati in sua beatitudine naturali, in ea permansissent.

5 **R**espondent aliqui concedendo Majorem: existimant enim quod licet Angeli simpliciter & absolute miser sint, possunt tamen dici beati secundum quid, beatitudine scilicet naturali, quæ in cognitione & dilectione authoris naturæ consistit: sicut homo qui in hac vita contemplationem Dei perfectissimam haberet, quodammodo felix diceretur, tamen si absolute miser esset, & gravissimos cruciatus perferret.

Sed hæc solutio & doctrina displicet: beatitudo enim naturalis Angeli consistit quidem in cognitione & dilectione Dei ut authoris naturæ, atque ulla tamen deordinatione ab illo; unde hanc beatitudinem naturalem habuerunt Angeli in statu innocentie ante peccatum, Dæmones verò illam per peccatum amisserunt: quamvis enim directe & immediate contra Deum ut authorem naturæ non peccaverint, eo tamen ipso quod peccaverunt contra Deum ut authorem supernaturalem, ab eoque deordinati sunt, indirecte, mediate, & per accidens, contra eundem Deum ut est author naturæ peccaverunt, & ab eo deordinati sunt.

6 **M**elius ergo respondetur, negando sequelam Majoris. Ad cujus probationem dicendum est, quod quamvis beatitudo naturalis sit inamissibilis respectu Angeli in puris naturalibus constituti: tamen Angelus elevatus ad ordinem supernaturalem, potest indirecte & per accidens illam amittere, peccando directe contra præcepta supernaturalia. Unde commune illud effatum ex Dionysio desumptum: *Naturalia in Dæmonibus remanserunt integra*: intelligendum est de naturalibus in esse purè physico consideratis, qualia sunt substantia, potentia, species intelligibiles & hujusmodi; non verò de naturalibus quæ habent aliquid moralitatis admixtum, cujusmodi sunt cognitio practica, & rectitudo voluntatis erga ultimum finem: hæc enim, sal-

tem ad aliquid, per peccatum destructa fuere in Angelis.

**D**ico secundò, Angelos non fuisse creatos in beatitudine supernaturali.

Probatur, quia hæc (inquit S. Thomas) non est aliquid naturæ, sed naturæ finis: Ergo non debuit communicari Angelis per creationem.

Præterea, ut idem Doctor sanctus dicitur: Quisquis fruitur visione essentiali Dei, ita felicitate necessitate rapitur ad amandum Deum, ut nullo modo possit velle à Deo recedere & peccare. Cum ergo plures Angeli peccarint, evidens argumentum est eos caruisse visione beatæ divinæ essentiali, in qua supernaturalis beatitudo creaturæ intellectualis consistit.

Adde quod, unum ex specialissimis privilegiis animæ Christi collatis, ex eo quod esset Filius Dei naturalis, & haberet gratiam unionis hypostaticæ, ad quam titulo conaturalitatis consequitur gratia habitualis & gloria, fuit quod à primo instanti sui esse Deum permanentiter intueretur: Ergo cum similis ratio concedendi tale privilegium, non currat in Angelis, dicendum est quod ab initio suæ creationis non viderunt intuitivè divinam essentialiam, saltem visione permanenti.

An verò visione transeunti illam viderint, dubitant aliqui Authores: Ratio autem dubitandi est, quia ex doctrina Divi Augustini libro 11. super Genesim ad litteram, & D. Thomæ 2. 2. quæst. 12. art. 11. ad 2. & 2. 2. quæst. 17. art. 1. idè Moyses & D. Paulus adhuc viatores viderunt divinam essentialiam, visione transeunti, quæ cum Moyses electus esset Doctor Judæorum, & D. Paulus Doctor Gentium, conveniens fuit eorum immediatè in Deo videre mysteria gratiæ, quæ alios erant edocaturi, ut scilicet oculati testes facti mysteriorum quæ prædicabant, possent dicere populis sibi commissis: *quod audimus & vidimus, hoc testamur*. Sed pariter Angeli superiores, fuerunt veluti doctores inferiorum, ipsos per modum magisterii aristoteli de mysteriis gratiæ illuminando, ut infra dicitur: Ergo saltem Angeli superiores viderunt à principio suæ productionis divinam essentialiam per modum transeuntis.

Sententia tamen negativa communis est apud Theologos. Et probatur, quia hæc est regula generalis, & communis lex, quod nullus viator, dum est in statu viæ, divinam essentialiam contempletur; cum visio essentiali divinæ sit tota merces, & essentialis præmium Beatorum: Accipere aliquem à regula generali, & ordinaria lege, atque fundamento, ex Scriptura vel SS. Patribus desumpto, temerarium est: Ergo cum neque Scriptura, neque SS. Patres insinuent Angelos viatores vidisse aliquando divinam essentialiam, id sine temeritate affirmari non potest.

Ad rationem verò dubitandi in contrarium dicendum est, rationem illam D. Thomæ, ad probandum quod Moyses & D. Paulus viderunt divinam essentialiam, per modum transeuntis, adhuc essent in via, esse solum congruentium, quæ supposito quidem fundamento quod habemus in Scriptura, hoc speciale privilegium duobus illis viris fuisse concessum, optima est, nihil tamen prorsus concluderet, si ad hoc probandum nullum